MUSEUM MARINUM

INTRA, QUAESO!

Laurentius Ballesta et *Petrus Descamp* biologi imagines nobis monstrant in abysso marium factas, quae plenae sunt lepôris poetici. Photographemata, quae sequentur, excerpta sunt e tomo illustrato, c.t. „Planet Meer". Idem tomus editus est in domo editoriâ, quae appellatur *„National Geographic Deutschland"*. Textûs in Latinum convertit Nicolaus Groß.

Ecce Chromodoris quadricolor cochlea marina, quae est longitudine 4 centimetrorum. Haec cochlea marina vivit in fundo maris prope urbem Akabam Iordaniensem. Oceanologi mira animalia abyssi marinae mirabiliter photographaverunt.



Vae raptori: Echinus ruber (25 cm longus) radiis solidis armatus est, ne ab Anarhichade Maris Pacifici degluttiatur (photographema factum est prope Insulam Vancuverianam, quae sita est ante Columbiam Britannicam Canadianam.

Ex milibus pumilionum fit unum corallium: Polypi coralli lapidei
(1 cm; Mayotte, Via Mosambicensis)

Aggressor mundi velocissimus: Stomatopus 40 cm longus corripit praedam, qui est tetraodon 8 cm longus. Imago facta est in Portu Moresby, qui situs est in Sinu Papuano-Neoguineensi. Hic impetus cancri in piscem factus est rapidior quam oculi nictatio.

Raro visuntur prata zosterae in Iordaniae horto marino Akabanensi sita. Ibidem pascuntur pauca tantum animalia, velut heterocongri; qui sunt longitudine 70 centimetrorum.

Ecce purgatores dentium submarini: cancruli 4 cm longi, quibus nomen est scientificum Lysmata amboinensis, prope Mabul, in Malaysiano Mari Celebesiano viventes.

Babae! Hic piscis (Phycoduros australianus) formâ et colore perfectê se abdit in silvas submarinas. Idem habet longitudinem 45 centimetrorum, habitat in Sinu Rapido regionis Adelaidensis.



Navigium submersum multis bestiis marinis factum est refugium novumque domicilium: etiam partes „Superbiae cedrinae“relictae apogonîs percîs marinîs 12 cm longîs in horto marino prope Akabam Iordaniensem sito sunt latebrae gratissimae.

Lithodes cancer marinus rosaceo colore, lepôre rustico: Qui est 9,5 cm longus, vivit prope Insulas Iacobi Ramirez Chilienses, prope Promonturium Hoornianum.

Ecce urinatorem audacissimum: Qui audet appropinquare octopodi giganteo Oceani Pacifici. Hic octopus 4,50 metra longus versatur prope Insulam Vancuverianam, quae spectat ad Britannicam Columbiam Canadianam.



Cancer 20 cm longus reptat per corallium: prope Walindiam in Nova Britannia Papuano-Neoguineana sitam.

Babae quantum rostrum! Megachasma pelagium genus canum marinorum 8 metra longum ingens ôs suum aperit ad Aurelias auritas urtîcas marinas 20 cm longas devorandas.

En bellulam sepiolam versicolorem! Tales sepiae 3 cm longae in locis Francogalliae marinis „Cerbère-Banyuls“ appellatis viventes possunt colorem mutare.

Bestia iners: In polorum aquis gelidissimis bestiae lentê tantum se movent. Talis est hic canis marinus Arctidis Canadianae in Mari Baffiniano natans. Eidem caniculae arcticae mirum est nomen scientificum „Somniosus microcephalus“.

»Concordiâ res parvae crescunt, discordiâ maximae dilabuntur«:
Plectorhinchi lineati 40 cm longi; qui pisces sociales vivunt in Portu Moresby, Sinu Papuano, Neoguineâ Papuanâ. Plectorhinchi inter se congregantur, cum multis oculis plura videantur quam duobus – ita fit, ut raptores rapidius conspiciantur.

In lumine artificiali erubescunt: Priacanthi blochii 25 cm longi versantur in Scopulis Panoramatis, qui siti sunt in Safaga Aegypti.

Synanceia piscis 38 cm longus algîs obsitus: qui habitat in Iordaniae horto marino Akabensi.

»Bene vixit qui bene latuit «: Hic Hêmilepidôtus 50 cm longus prope Canadiensis Columbiae Britannicae Insulam Vancuverianam vivens ad circumiecta se accommodat more chamaeleontis – hôc loco se similem fecit metridiis, quae sunt colore syringae.

Mirum! Nunc idem Hêmilepidôtus frâgîs marînîs circumdatus erubescit!



En aspice animalia mirabilia: Cotylorhiza tuberculâta, genus quoddam urtîcârum marinarum 35 cm longum, cui supernatant scombri iuveniles 7 cm longi. Hoc photographema factum est in Litore Caeruleo, prope Marsiliam Francogallorum.

Ecce cancer spinosus et versicolor: Hic Stenorhynchus 1,50 cm longus vivit prope Walindiam Novae Britanniae regionem Papuano-Neoguineae.

Isti non osculantur! Duo Cephalopholides miniati 40 cm longi pugnant de territoriis. Haec imago facta est prope Walindiam Novae Britanniae regionem Papuano-Neoguineae.

Organa telis aranearum similia: In abyssis submarinis quaedam bestiae vivunt more plantarum. Acanthella acuta 20 cm longa et quidam vermis tubularius 30 cm longus in Sinu Francogalliae Lugdunensi viventes organis utuntur ramificatis simili ratione ac araneae telis suis.

Vae victis! Avidissima est bestia rapax in fine „catenae nutritivae“ (ut aiunt oecologi) p
Antennarius oligospilos piscis bufoni similis, 30 cm longus, qui vivit in horto
Acabae Iordaniensis marino.

Ecce pisciculum pellucidum: In branchiis huius larvae Pteroentis volitantis 1,5 cm l conspicitur ipse sanguis! Qui pisciculus photographatus est in scopulis corallineis Rangiroanis, qui siti sunt in Insulis Polynesiae Francogallicae Tuamotuanis.

En aspice raias 65 metris sub maris superficie quasi volantes! Etiam hi aëtobati maculati 1,5 metra longi photographati sunt in Corallineis Scopulis Rangiroanis.

Hippocampi non sunt equi! Iidem (16 cm longi) in Sinu Francogallorum Lugdunensi viventes sunt pisces, qui in praesenti pascuntur prato zosterino.

Bene sapiat! Vides testudinem famelicam: Eretmochelys imbricata in Scopulis Rangiroanis versans (1 metrum longa) coloniam coralliorum morsu separat, ut accipiat spongiolas ramis coralliorum subsitas.



Oh quam parvum! quam subtile! Periclimenes amethysteus cancrulus tria centimetra longus in Cribrinopside crassâ versans, quae est longitudinis 10 centimetrorum. Haec imago exorta est in Francogalliae viridario Nationali Port-Cros prope Var sito.

Oculo sunt propinquissimi: Arguli (8 millimetra longi) praeternatant Scorpaenichthyn marmoratum. Qui piscis Canadensis longitudine est unius metri.

Heus sodalis, finita nunc est monstratio per Museum Marinum facta. Summas gratias tibi agimus, quod bestias nostras marinas aspectasti. Optima quaeque tibi exoptamus!